

Med.
6578

6270. 100

QUID ARABIBUS IN ARTE MEDICA
ET CONSERVANDA ET EXCO-
LENDA DEBEATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

AUCTORE

SIMONE ARONSTEIN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORE

MURENA - GUESTPHALO.

~~~~~

Quae tam immemor posteritas, quae tam ingratae litterae reperientur,  
quae eorum gloriam non immortalitatis memoria prosequantur?

CICERO.

---

FORMIS BRUESCHKIANIS.



416 100 505 300 11



V I R O

CELEBERRIMO, ORNATISSIMO, EXPERIENTISSIMO

LUDOVICO AUGUSTO KRAUS,

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, DOCENTI ET MEDICO PRACTICO GOETTINGENSI, COM-  
PLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI.

PRAECEPTORI AD CINERES USQUE COLENDO

AMICO DILECTISSIMO

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

UT AMORIS ET GRATI ANIMI TESTIMONIUM

D. D. D.

AUCTOR.

---

P r a e f a t i o n e m .

---

Cum iam ex pluribus annis linguae historiaeque Arabum discendae hac ratione operam dedissem, ut, quid in omni rei medicae ambitu gens illa praestitisset, intelligerem; cumque in his studiis non sine magna voluptate versatus essem: dubius haesitare non poteram, quid dissertationi, quae academicis legibus obsequenti mihi scribenda erat, inter caetera ad rem facientia problemata quasi aptissimum imprimis eligerem. Erunt quidem fortasse, quorum in reprehensionem incurrisse videar et ob propositum a me depromptum, et ob rei ipsius tractationem parum absolutam. Quibus dixisse sufficiat, neque ad scriptum hoc elaborandum mihi multum temporis esse concessum, neque etiam mihi cordi fuisse,

magis medicinae inter Arabes historiam scribere, quam potius brevem istius scientiae a gente illa excultae imaginem adumbrare. Utinam non plane operam me perdidisse ii iudicent, qui temporum eorum notitia instructi, ingenii acumine ornati atque benignitate benevolentiaque praediti severissimo quoque iudicio et prodesse valeant et delectare.

---

**R**es humanas animo attento nobis perpendentibus facile patebit, diversis temporibus omnem statum etiam populorum diversum fuisse. Haud dubie enim animadvertentius, eandem gentem paene fastigium omnis doctrinae attigisse, sequentibus vero temporibus densissima nocte conditam iacuisse. Sic de Romanis, sic de Graecis, sic de Indis, Aegyptiis caeterisque cunctis antiquorum temporum populis accipimus. Num igitur cuiquam mirandum videri potest, Arabibus quoque, qui non minore, quam omnes illae nationes modo a me nominatae, doctrinae et vitae politae gloria suo tempore floruerunt, idem accidisse? Ne quis vero hoc in nobis reprehendat, quod hunc populum cum doctissimis illustrissimisque omnium temporum gentibus conferre ausi simus; illud adlicere nobis liceat, Arabes, ut in caeteris scientiarum generibus, sic etiam imprimis in re medica in iisque studiis, quae huic arti finitima sunt, tantopere excelluisse, ut non modo memoria, sed grata quoque nostrae aetatis commemoratione haud indigni habendi sint.

Sorte autem divina ita comparatum esse videtur, ut, quemadmodum in eodem populo litterarum cultus ab una aetate ad alteram quasi transmigrat, ita ut doctrinae status eiusdem gentis non semper unus idemque maneat, meliorque aut deterior fiat, sic quoque omnis litterarum et artium honor ab una gente penitus aufugiat ad aliamque, usque huc earum rerum illecebris et venustate intactam, subito transeat; id quod quidem vel minimus cogitandi usus nos docebit. Ut enim die oriente lux illa, quae cum vita vitae praestantissima emolumenta mortalibus

impertit, non eandem semper regionem claritate sua et splendore illustrat, sed potius ab una plaga ad alteram rapido cursu transfertur: sic illud non minus praeclarum atque salutare lumen litterarum haud perpetuo easdem gentes splendore suo illuminat, sed modo hanc, modo illam muneribus suis feliciorum illustrioremque reddit. Quis enim nescit, populum illum, in quo primum litterarum semina non sine omni foecunditate succreverant, Aegyptios dico, postquam aliquot saeculis artium et doctrinae fama floruerat variisque studiis, illis temporibus sane aestimatione dignissimis, excelluerat, postquam inter eos clariores etiam et tam praestantes viri exstiterant, ut apud illos remotissimarum regionum incolae sapientiam quaerent, — quis igitur nescit, populum illum in talem oblivionem tandem recidisse, ut paene omnis doctrinae gloria eis demta planeque extincta videretur? — Transiit eruditio, praecipue tamen artium honor, ad Phoenices, quos etiam in iis haud infeliciter se exercuisse omni iure affirmare nobis licet; — transiit summa deinde praestantiae gloria litterarum studium ad Graecos, gentem caeteris omnibus huius gloriae palmam facile praeripientem; — Transiit postremum inter prisci aevi populos ad Romanos, qui, etiamsi his, a quibus ferè omnia acceperant, pares non essent, tamen secundas post eosdem partes haud dubie tenent. Attamen ille doctrinae atque artium liberalium splendor, quo reipublicae extremis temporibus atque sub Augusto primo imperatore excelluerant, satis celeriter mori penitusque interire videbatur, ita ut, quamvis non omnis doctarum rerum scientia abesset, tamen ingeniorum fervorem ac venus tateni demtam esse appareret. Dormire abhinc studia videbantur, populi que ipsi somno quasi retenti esse; exspectari autem recens ardor magisque laeta litterarum cultura a gente tantummodo poterat, cuius vires neque animi neque corporis iam exhaustae essent, quaeque tanquam vigore iuvenili litterarum resurrectionem gloriosissimam suscipere posset. Quenam vero gens illa erat, ex qua omnia haec, (si vere orta sunt) oriri possent? Nulla, nisi ea, quae e peninsula Arabica, ubi usque huc caeteris gentibus paene incognita latuerat, subito emergeret, et quamvis a bellica virtute nequaquam aliena, imo rerum gestarum gloria quam maxime insignis, tamen re quoque alia, bellica virtute haud inferiori, codice nempe, quem divinum praedicabat, populis praerire cuperet: qui codex, ab errore humano haud quidem vacuus, tamen populis Orientis iisque colendis sane conveniebat.

Sicuti autem Graecia doctrinae omnisque culturae suae rudimenta ab Aegyptiis, Phoenicibus, Phrygibus atque Indis acceperat; ita Arabes haec imprimis Judaeis, Syris nec non Graecis, minus vero Romanis 1) debebant. Attamen impugnatur studium illud et amor litterarum, quem Arabes in omnium scientiarum genera contulisse dicuntur, imprimis facto uno, quod ab historica veritate nequaquam abhorere videtur. Testibus enim cunctis temporum illorum scriptoribus patet, ab illis bibliothecam illam illustrissimam monumentisque cunctae eruditionis refertam fuisse combustam, quam culpam tamen illi non soli in se sumsisse videntur, quia Orosio teste 2) haud minus constat, plurima iam antea imperatoris Romanorum Theodosii iussu ex illa bibliotheca abrepta fuisse, atque incendio destructa. Neque enim negare mihi est cordi, ardorem Arabum in litteris excolendis primis temporibus non talem fuisse, qualis sequenti tempore extiterit; bellicis enim studiis detentum otium illud initio nancisci non potuerunt, quod doctrinae cultui deesse non debet. Cum vero sedes magis quietas sibi acquisivissent, ab hostibusque tuti magnam Asiae, Africae et Europae partem secure regerent, pulcherrimus litterarum flos inter eos non exclusus est. Longum foret, meritorum ab Arabibus in rerum doctarum studium collatorum praecipua modo capita attingere; sufficiat igitur, hoc unum dixisse, cum praestantibus Graecorum in rebus doctis initiis Arabes non pauca communia habuisse. Ut enim fabularum venustissimarum gloria inter Graecos Aesopus praecipue excellit, sic Arabibus poeta in hoc genere sane non contemnendus illive postponendus, Lokmanus est. Ab eodem quoque, sicuti etiam a pluribus aliis, adagia veritate et usu praeclara ad nos venerunt, haud absimilia illis, quae Graecorum priscis temporibus a septem illis sapientibus orta esse traduntur. Uti autem Graecia ad Olympicorum caeterorumque ludorum celebritatem confluebat, ita etiam certamina poetarum Arabibus in urbibus Mekka et Okadh colebantur, cantusque illorum aureis litteris bysso inscripti in sacra Kaaba suspendebantur. Heroes suos summa

1) Inter quos imprimis Plinio usi sunt.

2) Toderini's Litteratur der Türken, übers. von Hausleutner. Th. I. S. 124.

3) Oros. lib VI. c. 15. pag. 421. (edit. Havercamp.)

gloria Graecia extulit; ab Arabibus etiam non modo virtus bellica, sed caeterae quoque virtutes, quae fortes viros decent, colebantur. Graeciae populi propter sacrificiorum solemnitatem undequaque ad templum Delphicum conveniebant, ibique unam quasi nationem constituere videbantur: tribus Arabicae ad sacram Kaabam Mekkae congregatae imprimis quoque propter hospitalitatem studiosissime cultam in unum populum coaluisse videbantur; Adactus etiam illius societatis tenor libro illo, cui Korani nomen est, quo ab Aegypto usque ad Indiam, a Lusitania usque ad Samarkandiam populi coniuncti sunt. Philosophia ipsa, quam Graecorum sapientes a coelo in terram detraxisse dicuntur, apud Arabes quoque sedem sibi elegit, eique arctissime iuncta Aesculapii ars divina non minori studio excolebatur. Minus enim mirandum videbitur, Arabes tantum studium in medicinae artem colendam quoque contulisse, cum extra dubium positum sit, Prophetam ipsum illa quodammodo imbutum fuisse, cunctisque haud raro civibus eam commendavisse. 1)

Est autem medicina ex iis artibus, quae, cum primum tractari inceperint, tanta iucunditate mentes omnium tenent, ut haud facile abiiciantur aliique scientiae postponantur, quod etiam Arabum exemplo probari potest. Nam cum Arabes ipsi

1) I. Venit ad Prophetam (Mohhamadem) aliquis Arabs, conquerens de fratris sui diarrhoea nimia. Se ille variam, sed frustra, medicinam fecisse, Mel apum ipsi suasit Mohhamad. Abit Arabs, et effectui dat consilium. Sed increbruit inde fluxus ventris. Redit ergo et indicat, ab adhibita medicina malum vires sumsisse. Iterat Mohhamad praecceptum, et Arabs medicinam. Sed rursus exasperata colluvie rursus adit Prophetam, qui tertio tandem ipsi mellis eiusdem usum imperat. Post sumtum denique tertia vice mel primum sensim atque sensim defecit fluxus, tandem et plene substitit. Reiske opusc. med. ex monum. Arab. p. 13 s. Observat. IV Edit. Gruner. Hal. 1776. 8.

II. Hoc tempore (Mohamedis) floruit Hareth Ebn Calda Medicus Arabum, ortu Thakifensis ex Thayefensibus. Profectus in Persiam artem medicam didicit a Jondisaburi incolis aliisque, tempore ignorantiae ante (exortum) Islamismum. Medicinam exercuit in Perside, ubi multas congressit opes; deinde patriae visendae cupidus, Al Tayefum reversus est, ubi celebris fuit, et ad Islamismi tempora pertigit. Jussit Mohhamad, si quis morbo affectus esset, ipsum adire, et ab eo remedium petere. —

Abulpharag, histor. dynastar, edit. arab. et lat. Pocockii. Oxon. 1662. 4. pag. 99. vers. lat.

scholis adhuc medicis carerent, Syrorum, Iudaeorum, praecipue tamen Nestorianorum scholas frequentabant, quarum celeberrima Dschondisaborae in Khuzistan florebat 1). Vacabant Arabes etiam scholis Graecorum, multaque ex libris Graecis, praecipue ea, quae ad philosophiam atque rem medicam pertinebant, in linguam Arabicam transtulerunt.

Dominatione autem Saracenorum magis stabilita, Chalifa Almansur, simul cum urbe academiam Bagdadensem fundavit, quae mox ad summum celebritatis fastigium evecta medicinae studium haud parum promovit. Hic etiam a collegio medico omnes, qui illam artem profitebantur, examinati sunt 2), honoresque academici distributi, atque ex omnibus finitimarum terrarum regionibus viri docti ad illam litterarum sedem confluerunt, ita ut tempore quodam sexies mille litterarum studiosi ibi numerarentur 3), bibliothecae amplissimae apertae essent, nosocomia atque apothecae primae publicae haberentur 4). Chalifae ipsi professorum lectionibus haud raro intererant omnesque cives ita simul in litterarum amore consentiebant, ut e Bagdado Athenae antiquae resurrexisse viderentur. Nec dissimilis quoque Pericli Chalifa Harun-Arraschid. Syros finitimosque populos doctos ad se invitavit, atque Graecorum scripta in sermonem Arabicum transferri iussit 5).

1) Schulze de Gandisapora, Persarum quondam academia medica: in commentariis academ. scientiar Petropolit. Vol. XIII.

2) Abulpharag. chron. Syriac. p. 134. (ed. Kirsch. 4. Lips. 1789.)

3) Leo Afric. de philosoph. et medic. Arab. apud Fabric. bibl. graec. Vol. XIII. p. 274.

4) Abulpharag. histor. dynast. p. 320. — Abulfed. vol. III. p. 374. (ed. Adler. 4. Hafn. 1789.)

5) Inter illos Nestorianorum medicorum familia communi Baktischwah nomine insignita eminet, quam Chalifae praecipuo favore ad se invitabant. Nec plane indignum inter multa iudico, quaedam de curandi ratione Dschibrailis, qui celeberrimus fere ex ista familia habetur, huic loco inserere.

I. In illis autem diebus Erraschidi concubina, cum inter iactandum se funibus manum suam sustulisset, remansit illa extensa, ita ut retrahere ipsam nequiret; cui cum medici linimento et unguentis adhibendis nihil proficerent, Erraschid dixit Giafaro, iam actum est; remansit haec puella cum morbo suo. Respondit Giafar, medicum habeo peritissimum, estque Bachtischuae filius; eum advocemus, et cum ipso de isto

Nulli tamen neque Graecorum neque Romanorum litterarum amore Chalifa Almamun cedit, qui imperatori Graeco centum centenariorum aureorum summam cum pace sempiterna offerebat, si Leonem philosophum in breve tempus ad se insti-

morbo sermonem conferamus; ille forsitan aliqua ad illum curandum arte pollet. Jussit ergo ipsum ad se adduci; cui adducto, quodnam, inquit Erraschid, est nomen tuum? Gabriel, inquit ille. Tum Erraschid: quid scis ex arte medica? Respondit; calidum reddo frigidum, et frigidum item calidum; siccum efficio humidum, et humidum pariter siccum. Ridens Chalifa dixit: hoc est omne, quo opus habetur in arte medica: deinde statum ei puellae exposuit: si mihi, inquit Gabriel, non succensebit fidelium imperator, est mihi ad eam sanandam commentum. Quodnam est illud, inquit Erraschid? Ille, prodeat, inquit, huc puella in omnium conspectum, ut, quod velim, faciam; tum autem patiaris me, nec subito irascaris. Iubente ergo Erraschido prodiit illa, quam conspicatus Gabriel ad ipsam accurrit, et inclinato capite simbriam ipsiusprehendit, quasi ipsam denudaturus; puella vero commota prae conturbationis et pudoris vehementia, membra sua demittens, manu deorsum extensa simbriam suamprehendit. Gabriel autem, sanata est, inquit, o fidelium imperator! Dicente ergo Erraschido puellae, extende dextrorsum et sinistrorsum manum tuam; cum fecisset illa, miratus ipse cum adstantibus omnibus: statim Gabrieli dari iussit quingentis mille drachmarum, ipsumque dilexit ut semet ipsum, et omnibus medicis praefectum constituit. Interrogatus Gabriel de morbi causa, respondit: profudit se in puellae istius membra inter venerem humor tenuis prae motu et caloris diffusionem, et cum subito a motu coitus quiesceret, congelatus est in interiori parte nervorum, adeo ut nisi a motu consimili solvi non posset: usus sum ergo commento, quo dilatato calore, solutus est humor superfluus. — *Vita Gabrielis a Salom. Negri Damasceno p. 2. et s. ad calcem Freund, History of physick. Part II. Conf. Abulphar. chron. Syr. p. 140.*

II. Narrant autem Christianorum historiae Rasjidum anno 180 (Hegirae) apoplexia laboravisse; cumque Medici convenissent, unum eorum (qui erat filius Bachtisjui, juvenis ingeniosus et Christianus) dixisse, sibi videri, venam ei aperiendam esse. Muhamede autem Alamino dicente, futurum id nunquam esse, Abdalla Almamon frater eius ait, quandoquidem medici iam de eo desperant, et unanimiter moriturum eum esse affirmant, quid potest in venae sectione mali esse? et fortassis convalescet: cumque alioqui necessario sit moriturus. Itaque secta ei vena est: et apertis oculis suis erectus stetit. Et narravit ei Almamon rem omnem, quae contigerat. Atque ex eo tempore amavit Rasjidus Almamonem: et adscivit sibi filium Bachtisjui medicum et constituit ei stipendium aequale stipendio Custodis (quod centum staterum millium erat, in singulos annos) dicens, Custos corpus meum et hic animam custodit. — *Elmacin. hist. Saracen. lib. secund. c. 6. p. 155. et s. ed. Erpen 4. L. B. 1625.*

tuum mittere vellet 1). Caeterum hic de scientiis inter Arabes divulgatis summum meritum prae omnibus Chalifis habere dicitur.

Attamen Bagdad non sola fuit scientiarum artiumque sedes, sed potius ab urbe Cordubae in Hispania usque ad Bokharam in Oriente remotissimo academiae scientiarum floruerunt. Cordubae quoque a Chalifa Alhakem academia per pluram saecula celeberrima est fundata. Ex omnibus paene Europae partibus doctrinae amantes, doctissimos viros audituri magnaue illa bibliotheca, quae fere trecenta voluminum millia complectebatur, usuri, convenerunt. Centum quinquaginta autem doctores in hac urbe versabantur. Fuerunt pariter Seville, Murciae, Almeriae, Toleti scholae doctorum, quas Hispania iterum non vidit. Septuaginta bibliothecae publicae et plus quam trecenti auctores peninsulam Pyrenaicam tunc temporis illustriorem reddiderunt. Alexandria in Aegypto ipsa pristinam gloriam simulque academiam et bibliothecam denuo accepit. Nec non Kufae et Bassrae scholae floruerunt celeberrimae. Saeculo adhuc decimo tertio Bagdadum et Damascus splendidarum scholarum sedes erant. Imo Chalifarum aulae academiarum speciem prae se tulerunt, ita ut principes ipsi non solum fautores, sed etiam doctores scientiarum extiterint. Sic Chalifa Abdollah Ebn Hadschab poesi, sic Abulfeda princeps Hamae historia et geographia excelluerunt, adeo autem ad unum omnes Chalifae coluerunt viros doctos, ut Chalifa Montassem prae moerore de Archiatri sui morte diem ipse obiret supremum 2).

- 1) Zonar annal. lib. XVI. p. 160. (ed. du Fresne. fol. Paris. 1687.)
- 2) Ait Honain, Salmawaihum in parte medicinae practica peritum fuisse et saeculo suo claruisse. Cumque aegrotaret, visisse ipsum Al Motassemum et in fletu coram ipso prorumpentem ipsi dixisse: indica mihi, quis te sublato sanitatem meam curaturus sit? cui ille: erit tibi ardelio iste Johannes Ebn Mesua; cum autem tibi aliquid praescripserit, sume ex eo, quod minus mixtum est. Mortuo autem Salmawaiho dixit Al Motassem, ego ipsum secuturus sum. Ille enim vitam meam conservavit et corpus moderatus est. Eamque diem a cibo abstinuit, feretrumque in palatium afferri iussit, et super ipso praeces fieri cum candelis et suffitu iuxta Christianorum ritum; quod ipso inspiciente factum. Solebat Salmawaihus Al Motassemo bis quotannis sanguinem de-

An non dolendum videri debet, posteros tantam in litteris excolendis industriam non modo neglexisse, sed quoque plane non cognovisse? Id enim immerito culpae iis tribuitur, non nisi Graecorum aemulos eos fuisse, nihilque novi ad scientiarum penum adiecisse; tamen quid in poësi, in geographia, in historia, in mathesi, in astronomia et grammatica fecerint, accuratius inspicere curae mihi esse non potest, cum mihi sola abhinc de medicina narrandum sit.

Est autem duplex medicinae excolendae exercendaeque ratio, quarum una imprimis apud eas gentes exstat, in quibus scientiarum cultura in infimis adhuc gradibus versatur atque ubi mens, qua omnis litterarum exercitatio vitam accipit, infantili quasi tenuitate tenetur. Quando enim fere non aliter, nisi ex eventibus, ii iudicare solent, qui apud eiusmodi populos medicinam exercent, nec non experientiam fere solam ducem ipsorum agnoscunt, ea medicinae exercendae ratio talisque ars empirica nominatur; altera autem tunc florere incipit, cum litterarum status iam perfectior redditus est, cum medicinae studium, doctorum hominum meditationibus subiectum, nequaquam eventus solos, sed praecipue causas eventuum spectat regulasque et praecepta proponit, quibus medicus in omni opere suo duci possit, et tali modo rationem diligenter sequitur: quae medicinae tractandae methodus rationalis audit. Posterior haec cum sine Philosophia omnino esse non possit, tunc solum Arabibus haud incognita esse potuit, quando constet, philosophiam eaque studia, quae ad hanc pertinent, iis non defuisse. Scimus autem, philosophiam ab Arabibus diligentissime esse tractatam, eumque etiam fere solum medicum esse habitum, qui istam scientiarum omnium matrem non ignoraret. Sic celeberrimi illorum medici, Alkhendi, Arrasi, Ebn Sina, imprimis vero Ebn Roschd atque Maimonides simul philosophi fuerunt. Quae res, quamvis primo intuitu quibusdam

---

trahere, et post singulas vices Pharmacum exhibere. At ubi Johannes ipsum curavit, voluit ille contra, ac fecerat Salmawaihus, facere, et medicam potionem phlebotomiae praemisit, qua epota incalescente sanguine in febrim incidit, nec destitit corpus ipsi tabescere, donec moreretur; idque viginti a morte Salmawaihi mensibus elapsis, Abulpharag, hist. dynast, p. 166, vers lat,

verbis Ebn Sinae, principis medicorum inter eos cognominati, oppugnari videtur, tamen, si accuratius consideremus, magis confirmatur. Sunt autem illius verba haec: verum quidem esse, neque sacerdotem neque medicum rationem sequi debere; tamen, quando sacerdos et medicus tanquam philosophi disserant, iis haud dubie libere ratiocinari licere 1). Isque illius magni operis, quod de medicina edidit, tenor est. Eiusdem rei haud infirmissimum quoque argumentum est dictum Ebn Roschd in libro, qui Kollijat inscribitur: a nemine, dicentis, opus suum intelligi posse, nisi ab eo, qui dialectices arte imbutus sit 2). Sic de medico haud obscurissimo Jahiah ben Dschesla liquet, eum propter unam hanc causam, ut apud Arabes dialecticam disceret, ad fidem ipsorum transiisse 3). Si vero de eius philosophiae genere et indole, cui Arabes imprimis vacaverint, quaeritur, negandum quidem non est, fere solam Aristotelicam atque Alexandrinam philosophiam eos excoluisse, nec non nimis anxie duces suos secutos esse, tamen, ut hanc reprehensionem ab iis deripiamus, respondebimus, ab iis quoque, ut antea a Graecis, philosophiam haud exigua novarum uberrimarumque idearum copia fuisse instructam; cuius meriti palmam Hispanus Ebn Roschd et Maimonides Judaeus tulisse videntur. Prior horum sententias iam profert, quas recentissimis temporibus philosophia naturalis denuo asseruit.

Nulla tamen ex istis scientiis, quae quasi auxiliatrices disciplinae medicae inserviunt, philosophiae ratione magis indigere videtur, quam physica. Quo latior enim, vel potius, quo immensior ambitus eius, quo densiore nocte causae omnes tectae iacent et primae origines, e quibus illa accurate cognosci potest: eo amplius philosophiae lumine eadem illustretur necesse est. Nec tamen sola experimentorum faciendorum consuetudini physices Arabum cognitio nitebatur, sed docta et vere philosophica ratione potius ab iis elaborata est; modo enim systema Peripateticum, modo philosophiam Platoniam ad studium eius diligentius adhibebant; imo a methodo mathematica in illa tractanda non alieni erant, licet ab observationibus et ex-

---

1) Avicenna Lib. I. fen. I. doct. 1. p. 8. (ed. Fab. Paulin. fol. Venet. 1595.)

2) Averrhois colliget. (ed. Surian. fol. Venet. 1496.)

3) Abulpharag, hist. dynast. p. 365. — Abulfed. Vol. III. p. 324.



perimentis nequaquam abhorrent. Sine dubio physicae studium his modo nominatis auxiliis haud parum promotum est, et quamvis non plane negandum sit, in sophistarum vanas disquisitiones interdum illos incidisse, tamen non minus certum haberi debet, multa quoque vera hac via ab iis fuisse inventa.

Cum vero, ut modo dixi, Arabes non unice physicam puram, vel eam, quae communibus praeceptis aut argumentis nititur, solam colerent, sed experimentis de rebus physicis earumque viribus atque effectibus sumtis in imos eiusdem quasi recessus penetrare cuperent; factum est, ut hac via, experientiarum nempe, ad chemiae quoque studium adigerentur; quae scientia neque a Graecis, neque a Romanis, nec quoque ab Alexandrinis satis accurate tractata erat, ita ut Arabes fere huius inventores haberi possint, hac scilicet ratione, quia primi systema eius condiderunt. Opus etiam Abu Mussa Dschafar al Sofi, cui cognomen est Geber, chemiae praecepta docens, exstat 1). Et a medicis et a philosophis scientia haec est excolta. Posteriores hi chemiam tamen, qua pharmaciae finitimam, excoluerunt: tali modo autem pharmaciam admodum fuisse ornatam atque adauctam infra monstrare conabor.

Quoniam autem omnes scientiae secundum Ciceronis effatum notissimum communi vinculo inter se tenentur, fieri debuit, ut a chemiae studio historia naturalis, quae huic saepe materiam praebet, inter Arabes quoque non plane abesset. Frequentissime quoque profecti sunt Arabes in terras peregrinas, quibus itineribus, ut etiam expeditionibus bellicis, historiae naturali haud exiguus adauctus accedebat. Tali modo et zoologia et botanica et mineralogia incrementum ceperunt. Ibn Sinā mineralia in classes redegit, quam divisionem posterius diu sunt secuti. Quoad zoologiam et botanicam, celeberrimos duos medicos hic nominabo, a quibus hae duae historiae naturalem spectantes disciplinae valde adauctae sunt: Abdollatiph, qui in memorabilibus Aegypti ab ipso scriptis praeclarissimum scrutantis et meditantis animi monumentum nobis reliquit 2), et Ebn Beithar, qui magnis per Graeciam et Orientem

1) Alchemia Gebri. Bern. 1545. 4.

2) Abdollatiphi, Histor. Aegypt. compendium, arab. et lat. (ed. J. VVhite. Oxon. 1800. 4.)

tem itineribus factis historiam naturalem apprime cognoverat. Id autem triste haberi debet, scriptum eius de remediis simplicibus, in quo plantas accuratissime illustravit, nondum publici iuris esse factum 1).

Ab his igitur scientiis medicinae studium quasi praeparantibus aut adiuvantibus ad eas transeo, quae strictiori sensu scientiae medicae appellandae sunt, inter quas primum anatomia hic locum obtineat. Nemo erat, quem magis ducem hic sequerentur, quam Galenum; attamen culpa iis datur, auctorem hunc omnibus absolutum numeris esse ratos, ac si omnia, quae ab anatomia reperiri possent, aperuisset: quae culpa tamen multo magis in senioris aevi medicos, usque ad Vesalii tempora, quam in medicos Arabum cadere videtur. Nam non solum quodammodo errores ei obiciunt, sed emendare etiam illos conantur. Quod imprimis in osteologia ab iis factum est, ubi non infrequentem occasionem ossa humana considerandi habent. Idem vero ut accuratius perspiciatur, unum Abdollatiphi ad hanc rem spectans dictum attulisse huic loco sufficiat 2).

1) Sprengels Geschichte der Arzneik. 2 Thl. p. 447. 8. (2. Aufl. 8. Halle, 1800.)

2) Inter ea, quae vidimus, hoc est mirum. Cum multi eorum, qui mecum assidue essent in re medica instituendi, studium collocassent in auctoribus anatomicis (et ad docendum et intelligendum difficilibus, eo quod verba non sufficerent ad rem, quae ante oculos versaretur, accurate describendam) una mecum ii facti sunt certiores, esse in Makso collem, super quo ossa iacerent multa.

Egressi igitur illuc, vidimus collem ossibus abundantem, longeque extensum; in quo parum abfuit, quin minus esset soli vel aequoris, (quod appareret, quam cadaverum (in eo iacentium). Ex specie externa, quae in oculos incurrit, dixeris, esse 2000 et amplius: erantque in classes quasi distributa, pro ratione temporis, quo ibi essent posita. Jam de figuris ossium articulisque eorum, item iuncturae eorum proportione et modo, item de eorum situ ea diximus, quae ex libris haurire nobis haud integrum fuit. Hi enim vel tacebant de talibus, vel carebant verbis, quae ad ea explicanda sufficerent, vel iis, quorum oculati nos testes fuimus, contraria asserebant. Est quippe oculus dux fidelior, quam auris. Etenim Galenus etiamsi ad id, quod melius sit investigandum, diligentissime invigilavit, magis est tamen oculis, quam scriptori illi credendum de eo, quod verum sit.

Licet utique a verbis eius, si usus venerit, recedere; exemplo sit os maxillae inferioris. Statuit δ πωλυ, eam binis constare ossibus, cum articulo valido ad mentum.

Constat inter legum morumque Arabum peritos, iis non licuisse, dissecare corpora humana: verum certe et maximum huius scientiae increscentis impedimentum! — Quamvis autem satis verisimile habendum sit, Arabum medicos contra Islamismi leges communemque totius nationis consensum corpora mortuorum aperuisse: tamen, quoniam indubitata testimonia nulla prostant, contendere nil aliud debemus, nisi eos et ex scriptis Graecorum et ab occasionibus vel caesorum vel vulneratorum corporum, in quibus et interiora paterent, oblatis, anatomiam didicisse,

Hoc autem loco per τὸν πᾶν intelligimus Galenum solum: nam ipse est solus, qui anatomiam tractavit, quique ad eam animo toto incubuit, oculosque ad eam intentos, veluti ad scopum collineavit. Multos ille composuit de arte ea libros; quorum plerique apud nos inveniuntur, caeteri in linguam Arabum non sunt conversi.

Jam vero, quod observavimus de membri huius vera conditione, est hoc: osse illud non nisi uno constare, articulumque habere plane nullum, neque ullam commissuram. Quippe examinavimus illud, gratia Dei, plus vice simplici, compluribus in corporibus, quorum sane numerus superat bis mille crania: id cum a me factum sit investigatione multiplici et accurata, repertum est, ei membro inesse os tantummodo unum. Nobis porro adiumento fuerunt viri plurimi doctrina instructissimi, qui, modo nobis praesentibus, modo absentibus, id examinaverunt; sed illis, quae diximus et retulimus, haud quicquam addiderunt, perinde atque in rebus aliis. Quod si fata nobis faverint, composuerimus de hac re tractatum, in quo propositum sit, tam quae a nobismet ipsis observata sunt, quam quae ex operibus Galeni didicerimus, fuse et dilucide explicare. Hoc ego os examinavi etiam in priscis Bursirae conditoriis, de quibus facta a me supra est mentio; deprehendique illud, prout dixi, carere articulo et commissura. Conditio autem commissurarum paulo occultiorum, articulorumque solidorum, ita est comparata, ut cum plurimum assumerint vetustatis et roboris, ad conspiciendum se praebeant, et a se invicem divellantur: at tota maxillae huiusce substantia non reperitur nisi frustum simplex et unum.

Quod attinet ad os coccygis cum osse sacro, dixit Galenus illud constare ossibus sex; verum ego inveni, illud os esse non nisi unum: adhibita autem omni diligentia, cum examinasset illud in cadavere alio, inveni idem sex habere ossa, uti statuit Galenus. Prout ille dixit, ita se rem habere comperi in multis cadaveribus: duo oportet excipiam, nam in his deprehendi illud unum esse os, idque in totum articulis solidatum. De osse autem sacro, unum sit nec ne, res non tam cognita est et explorata, quam de osse inferioris maxillae, quod quidem est uvum. Abdollat, hist. Aegypt. comp. tract. II. c. III. p. 271. et s.

Quo multo magis mirum quoque videbitur, eosdem in scriptis suis sane non mediocrem huius disciplinae cognitionem prodidisse, cum ex illis satis clare perspicatur, quaedam iis cognita fuisse, quae Graeci ipsi fortasse nescirent; sic Rhazes e. g. ramum infratrochlearem a ramo nasali nervi trigemini proficiscentem noverat 1). Nec non idem ante Wrisbergum observaverat, nervum vagum in dextro latere quandoque duplicem esse 2). Caeterum Arabum medici frequentissime anatomiae studium tanquam necessarium commendavere imprimis chirurgiam discenti: traditur quoque Rhazes hanc ob causam medico non permisisse, ut cataractam sibi secaret, quia hic quaestioni ab aegroto praepositae: quot membranis oculus componeretur, respondere nesciret 3). Abulkasem etiam anatomiae scientiam, neque vagam, neque incertam, sed iustam et solidam maxime necessariam chirurgus praedicat; idem ab Ebn Zohr factum constat. Et quamvis non minus animalia, quam homines secare vetarentur, tamen multa hanc opinionem adjuvant, eos eiusmodi quoque sectiones fecisse; non ignoramus enim, antequam operationes in hominibus aegrotantibus facerent, bestiarum dissectarum antea experimentum eos sumsisse: sic in capra ab Ebn Zohr bronchotomia experimenti causa facta est 4).

Ut vero omnino physiologia a physices studio nunquam separata esse potest, sic quoque apud Arabes arctissimo cum hac vinculo coniugata docebatur. Imprimis autem systema Peripateticum erat, quo in disquisitionibus physiologicis potissimum regerentur. Sane quidem praestitisset, disquisitiones illas fulcire accuratiori anatomiae perscrutatione, quam tali modo in opiniones hypotheticas et paradoxas ruere. Etenim quamvis ab anatomia eiusque studio haud plane abhorre viderentur, tamen, Galenum ducem sequentes, liberali huius scientiae tractatione carebant, teleologicisque in physiologia docenda explicationibus frequentissime utebantur. Attamen illud physiologiae saepissime accidit; neque praeceptorum ratione

1) Rhaz. contin. lib. II. c. 5. f. 45. a. (ed. Locatell. fol. Venet. 1506.)

2) Ib. lib. III. c. 4. f. 62. b.

3) Abulpharag. hist. dynastar. p. 291.

4) Abenzoar theisir lib. I, tr. X. c. 10. f. 14. b. c. 14. f. 15. d. (ed. Surian. fol. Venet. 1496.)

carentiam in hac scientia tractandā nostris temporibus minor est numerus, quam quibus olim cuncta scatebant. Quamvis ab altera parte e physiologia tali modo culta verissima quaedam eruebantur, quae non solum durarunt, sed quibus etiam recentior philosophiae naturalis cultura praeparata fuit. Sic Ebn Zohr praecepta consideratu dignissima de causis vitae servandae deque bona humorum mixtione dissolutioni repugnante proponit 1). Philosophicam hanc rationem sequens idem auctor acerrime contendit, omnium viscerum nullum reliquis esse praestantius, nec enim cor, neque cerebrum primum corporis organon; cuncta vero in toto corpore, praecipue tamen cum his duobus visceribus, cohaerere 2). Eodem modo Ebn Tophail continuum functionum esse circulum affirmat, unum viscus alterius causa existere, neque ullum sine altero esse posse 3). Imo concedi debet, nunc quoque easdem functiones modo meliori explicari non posse, quam quo eae ab Arabibus medicis explicarentur. Quod inter varia de nutritione constat, cuius hoc tempore non alia ratio, quam quae ab Ebn Sina data est, redditur 4); de splenis functione nostra etiam sententia illi par est, quam Ebn Serapion edebat, nonnisi eam cum hepate communiter agere affirmans: quam ob causam etiam quandam morbi regii speciem e morbo splenis organico oriri vult. 5)

Vana igitur, ut iam dixi, in physiologia ubique minime sequebantur; vera falsis, ut sors humana ferre videtur, hic quoque mixta fuere. Non aliter in pathologia egisse videntur; at potius divisionem causarum eandem nobiscum habebant, quas quidem in dispositionem, in momenta causalia et in proximam morbi causam discescebant. 6) Tamen praecepta imprimis secundum Galeni systema tradiderunt; ex alicuius enim humoris in corpore eminentia plerumque morbos consignaverunt, primasque apud eos partes sanguis vel bilis in morbis procreandis tenuerunt. Sic

1) Theisix. lib. I. tr. IX, c. 19, f. 13. b.

2) Ibid. tract. XI. c. 2. f. 17. b.

3) Tophail philosoph. autodid. p. 67. (Ed. Pocock. 8. Oxon, 1700.)

4) Sprengels Gesch. der Arzneik. 2 Th. p. 410.

5) Serapion, breviar. Tract. IV. c. 9, f. 35. d. (Ed. Gerard. Cremon. 4. Lugd., 1510.)

6) Avicenna lib. I, fen. 2, doct. 2, c. 1, p. 95.

variolarum (quas primi summaque cum veritate descripserunt) materiam iam in embryone quaesiverunt, ut morbi frequentiam explicarent: illum enim sanguinem, aiebant, necessario effervescere, eoque modo inflammatione et flavae bilis aestu variolas emittere 1). Neque dissimilem leprae, populis orientalibus frequentis simulque foedissimi morbi, naturam perspicere studuerunt, dum et hic pathologiam potissimum ratione humorum considerabant 2). Num in hac via erraverint, diiudicare nolo, idque dixisse sufficiat, easdem opiniones, quas tunc Arabes foverint, saepius postea, quamvis mutatas, rediisse. Quam ad theoriam quoque spectare videntur qualitates Galeni elementares, tam arcte cum Arabum pathologia cohaerentes.

Quaenam vero res, vel quaenam scientia pathologiae studium magis adiuvabit, quam semiotica? — quae, quamvis ab illa fere nunquam separari solet, tamen etiam patitur, ut et sine eadem et quasi propria scientia appareat. Hanc quoque Arabes, quamvis singularis disciplinae ambitu eam non comprehenderent, summo studio coluerunt; iidemque diagnostices et imprimis prognostices tam periti erant, ut Graeci iis vaticinantem spiritum inesse putarent 3). Medicus Cous immortalis gloria celebrandus doctor hac in re ipsis erat. Neque etiam hoc iis obiici potest, prognosin meras praestigias ab iis esse factam. Neque Rhazes, qui huius vaniloquentiae causa vituperatur, modo magis absoluto excusabitur, nisi eo, quo se ipsum super artificii agyrtae propriis suis dictis excusat 4). — Caeterum urinam observare medici Arabici a Graecis didicerant, neque negari potest, eos in hac re tam incerta aliquid praestitisse. Rhazes autem permittere noluit, ut alicubi, quam in cubiculo aegroti lotium inspiceretur 5). Fuit autem studium diligentius diagnostices, cui potissimum Arabes accuratissimam morborum cognitionem deberent. Febrim enim

1) Rhaz. de variol. et morbill. c. 1. p. 20. 25. (Edit. Channing. arab. et lat. 8. Lond. 1766.) Eiusd. contin. lib. XVIII. c. 8. f. 382. d. — Ib. f. 395. a.

2) Serap. breviar. tract. V. c. 14. f. 51. c.

3) Anastas. quaest. XX. pag. 238. (Edit. Gretser.) — Sprengels Gesch. der Arzneikunde. 2 Th. p. 384.

4) Rhaz. ad Almanson. tract. VII. c. 27. f. 34. a. (Ed. Gerard Cremon. fol. Venet. 1500.)

5) Eiusd. aphorism. lib. VI. f. 95. b. (Ed. Venet. 1500. fol.)

v. c. ratione duplici consideraverunt, atque inter febrim, qua symptoma, et febrim, qua morbum, discrimen posuerunt 1). Neque minori cura februm diversitatem inter ipsas ostenderunt. Distinxerunt eodem modo inflammationes pleurae ab inflammatione musculorum pectoralium, ut et ab illa pulmonum, mediastini et pericardii 2). Magnam deinde attentionem praebuerunt variis leprae generibus, cuius morbi species quaedam, quamvis post Asclepiadis tempora a Graecis observata esset, Arabes tamen omnem eius ferocitatem et furorem primi viderunt 3). Quid multa, morbi imprimis cutanei summa cum industria ab Arabum medicis animadversi sunt atque distributi; cui cognitioni situs et conditio huius populi ansam praebuit. Regiones enim tenebant, in quibus solis fervor multo atrociores morbos, quam apud Graecos proferebat, quorum coeli plaga magis temperata omniumque exanthematum generi minus propitia fuerat. Patria enim quasi pestis, omnium morborum crudelissimae et ferocissimae, Aethiopia Aegyptusve, quarum tanquam e gremio exorta, plurimis rursum et terrore plenis, imprimis cutis, morbis causam et originem dederat, e quibus, nostris quidem temporibus notissimi, vario- lae 4), morbilli 5), rubeolae 6), et miliaria 7) Graecis nequaquam innotuerant. Est autem et alia rariorum morborum copia ab Arabibus primum cognita, quo pertinet erysipelas sphacelosum, quod in fine undecimi saeculi grassabatur 8), quo etiam angina rara quaedam in emollitionem colli vertebrarum et in paralysin musculorum pharyngis transiens 9), quo deinde induratio calculosa in ductibus salivalibus, quam

- 1) Rhaz. contin. lib. XVI. c. 2. f. 340. c.
- 2) Avicenna lib. III. fen. 10. tract. 4. c. 1. p. 647. — Abenzoar. theisir lib. I. tract. XII. c. 7. f. 19. b. — Ibi tract. XVI. c. 6. f. 24. a.
- 3) Vid. quae Arabes de lepra scripserint, A. C. Lorry librum de morbis cutaneis. P. I. Sect. I. c. 3. art. 6 et 7. — Hensler vom abendländischen Aussatze im Mittelalter. Hamb. 1790. 8.
- 4) et 5) Rhazes de variolis et morbillis.
- 6) Avicenna lib. IV. fen. I. tract. 4. c. 6. p. 435. (Ed. Jul. Palamed. fol. Venet. 1562.)
- 7) Ibid. fen. 3. tract. 1. c. 8. p. 452. b.
- 8) Albucasis de chirurg. lib. II. §. 93. p. 443. s. (Ed. arab. et lat. Channing 4. Oxon. 1778.)
- 9) Abenzoar theisir, lib. I. tract. X. c. 18. f. 16. b.

inopia vocis secuta est 1), quo postremo ingens foedorum in partibus genitalibus malorum numerus. Nec ullus ante eos aut plane omnino, aut perfectius descripsit esseram 2), crustam lacteam 3), spinam ventosam 4), hydropem pericardii 5), pericardii in duram et cartilagosam substantiam mutationem 6), plantam noctis 7) (exanthema diri generis), salivae profluvium a mercurio 8), stomachi verucam 9), venam Medinensem (filariam M.) 10), aphthas puerorum 11), foetorem oris 12), et praesertim animi morbos 13). Vid. Ackermann, Instit. hist. med. §. 390. p. 304 s.

Neque minus pharmacologia, quam nosologia, ab Arabibus ditata est, vel, ut rectius dicam, nulla artis nostrae disciplina ad tantum gradum amplitudinis inter illos pervenit. Cum enim non solum imperii ambitus maior fieret, sed etiam frequentissima singuli in terras peregrinas itinera susciperent, earum terrarum etiam medicamenta cognoverunt. Tali modo illis a nobis notitia camphorae, moschi, zingiberis, nucis moschatae, caryophyllorum aromaticorum, pulpaе cassiae et tamarindorum, rhei, mannae, foliorum sennae, myrobolanorum plurimumque aliorum remedium saluberrimorum debetur. Et sane non minorem laudem propter advectas

- 1) Ib. lib. II. tract. II. c. 2. f. 25. d.
- 2) Serap. breviar. tr. IV. c. 8. f. 49. d.
- 3) Alsaharavius pract. tr. XXVI. c. 5. (ed. Augustan. fol. 1519.)
- 4) Avicenna Lib. IV. fen. 4. tr. 4. c. 6. p. 477. a. (ed. Palamed.) conf. Rhaz. contin. Lib. XXVIII.
- 5) 6) Avenzoar theisir lib. I. tr. XII. c. 4. f. 7. f. 19. b.
- 7) Avicenna, Lib. IV. fen. 7. tr. 1. c. 10.
- 8) Alsaharav. pract. tr. III. c. 3.
- 9) Avenzoar theisir tr. XV. c. 3. f. 21. c.
- 10) Vid. Georg. Hier. Velschii exercit. de vena Medinensi ad mentem Ebn Sinae. August. Vindel. 1974. 4.
- 11) Alsaharav. pract. tr. X. c. 2. fol. 52.
- 12) Avicenna. Lib. III. fen. V. tr. II. cap. 1. —
- 13) Avicenna. Lib. III. fen. I. tr. V. c. 7 — 24. — Alsaharavius pract. tr. I. Sect. II. c. 26 — 32.

has utilissimas merces, quam propter earundem elaborationem, ut medicamenta fierent, merentur. Sic pharmaciae inventores non sine iure habendi sunt, qua in scientia ordinanda et excolenda paucissimi medici antea elaboraverant, quia tantum ad alchymiae errores hi fere et medicaminibus abusi fuerant. Iam supra a me dictum est, chemicas medicorum scrutationes ab Arabum medicis ad conficienda medicamentorum genera adhibita fuisse. Apud antiquissimos enim huius gentis auctores operationes chemicas relatas legimus, quae pharmaciae haud mediocrem exigere videntur scientiam. Descripsit et Geber distillationum et sublimationum quaedam genera, lac sulphuris, aquam fortem et regiam, argentum nitricum, mercurium sublimatum corrosivum et praecipitatum rubrum etc 1). Rhazes iam extrahere docet formicarum acidum spiritumque, nec non confectionem nitri atque boracis purgationem 2). Omnes certe Arabes mercurii usum intellexerunt; haud secus nonnulla ferri praeparata, remedia antimonialia et arsenicalia et aquam calcis, quorum medicaminum cognitionem hos illosve tenuisse ex omnium fere scriptorum Arabicorum testimoniis patet 3). Caeterum Arabes naphthae, alcoholi, siroporum, iuleporum, loochorum, elixiris, oxymellis, confectionis alkermes repertores fuisse, iam harum compositionum nomina produnt. Accedit inventio eorum, solutionibus reagentibus plantarum extracta colligendi, in quibus differentiam inter extracta resinosa et gummosa constituebant 4). Primi etiam fuerunt, qui medicamentorum sic dictam correctionem certis regulis obstringere coeperunt, cuius rei plura apud minorem Mesuem testimonia scitu dignissima exstant 5). Id quoque sciverunt, medicamentum in subtilem pulverem contritum alio modo agere, quam si infusionibus dilutum recipiatur 6). Constat, ante omnes artis fuisse conscios, secundum ingre-

1) Gmelin's Gesch. der Chemie, Theil I. p. 15 sq. (Götting. 1797. 8.)

2) Rhaz. Antidotar. f. 97. b. — (ed. Gerard. Crem. fol. Venet. 1500.)

3) ib. c. 36. f. 81. a. — Avicenna Lib. II. fen. 2. c. 47. p. 267. — c. 251. p. 316. — Rhaz. cont. Lib. VIII. c. 2. f. 169. 180. c. s.

4) Mesuae opera p. 49. c. — (ed. Marini. fol. Venet. 1562.)

5) ib. p. 22. c.

6) ib. p. 27. d.

redientium iustam proportionem, massam conficiendi pillularum, atque ex medicamentis resinosis tincturas parandi. Sacharo quoque in medicaminibus componendis utebantur, antea melle solum adhibito. Maximas tamen gratias, quae iis ferendae sunt, hanc ob causam merentur, quia prima pharmacopolia instituerint, atque haec medicorum collegiis inspicienda dederint, tum quia dispensatoria sanxerint, quibus observandis apothecarii adigerentur 1). Cum igitur medici Arabici de medicamentorum augendorum copia sicut de chemia in elaborandis medicamentis adhibita, haud paululum sint meriti, eius theoriae quoque constituendae similem fere operam tribuerunt. Caeterum, quoniam, non contenti quatuor medicamentorum gradus statuisset, in medicamentis compositis secundum proportionem geometricam compositionum qualitates definierunt; licet quidem quaerere cum ingenioso Averrhoë, cur in medicaminum gradibus constituendis loco proportionum geometricarum non statuerint arithmeticas? 2) — Quae omnia theoria solum tunc temporis communi excusari posse, quisque mihi assentiet, nec magni pendet errores, quos in hac disciplina Arabes contraxerunt, quippe qui multa partim inutilia, partim supersticiosa medicamenta retinerent, aut denuo inducerent: sic rubrorum coralliorum, sic testarum conchae margaritiferae, sic quoque margaritarum, adamantis aliarumque gemmarum, sic etiam pillularum auro aut argento obducendarum usum prae caeteris monstraverunt. Ut vero intelligi possit, Arabes minime ad empiricorum modum, regulis communibus quibuscunque posthabitis, medicamentis usos esse, regulas ab Aben-Guefith editas, quibus medicamentorum effectus probari vult, hoc loco commemorabo 3). Po-

1) Vid. Torb. Bergmann, histor. chem. med. aevum p. 96. sq. in opusc. physic. et chem. Vol. IV. ed. Hebenstreit Lips. 1787. 8. —

Sprengel's Geschichte d. Mediz. im Auszuge 1 Th. p. 187 — 190. (Halle 1804. 8.)

Freind history of Physik. Part. II. p. 204 sqq.

2) Averrhoë colliget, lib. V. c. 58. f. 92. a.

3) Qui autem virtutum medicinarum simplicium, et ciborum cognitionem vult habere est indigeus cognitione viarum, quibus earum virtutes et ipsarum operationes inveniuntur; et haec quidem viae sunt octo. Una earum est, ut sit medicina, cuius virtutem

stremo cunctis, in medicaminum viribus diiudicandis sensuum auxiliis utebantur, ita ut Mesuae tactum ipsum non excludat 1). Idem scriptor iam, ut Linnaeus, colorem plantarum efficaciae signum esse credidit, adiecitque, locum nativum, ut et solum, ubi plantae creverint, ad vires earum constituendas haud parum facere 2). Attamen

experiri vult aliquis, vacua a qualitate acquisita accidentali. Cuius exemplum est in medicina simplici, aqua frigida, quae per accidens corpus calefacit, quando super ipsum funditur, quoniam infrigidat cutem, et aggregat eam et inspissat ipsam, quam ob rem coarctantur vapores, qui exspirabant, quare calefacit corpus propter illud: sicut aqua calida infrigidat per accidens, quoniam rarificat corpus, quare respirant vapores calefacientes, et infrigidatur corpus. Et secunda est, ut sit aegritudo, in qua experitur medicina simplex, sicut febris hectica. Et tertia est, ut ea medicentur aegritudines contrariae, donec certificetur. Et quarta est, ut sit virtus medicinae aequalis virtuti aegritudinis, quae cum ea medicatur, donec declaretur operatio eius in ea sufficienter. Et quinta est, ut consideretur operatio medicinae, an sit operatio eius in calefactione, et infrigidatione hora qua recipitur. Nam si non calefacit nisi post spatium, cum in principio infrigidaverit, tum calefactio eius non est nisi per accidens: et similiter etiam si non infrigidat, nisi post spatium, at iam in principio rei calefacit, tunc infrigidatio eius non est nisi per viam accidentis. Et sexta est, ut consideretur operatio eius in omni corpore, et in omni hora, quare est eius infrigidatio, et ipsius calefactio una res semper. Nam si est ita, tunc operatio eius est per naturam, et si non est ita, tunc operatio eius per accidens. Et septima est, ut sit calefactio medicinae in illa re, ad quam comparatur calefactio eius, aut ut ipsius infrigidatio non sit in alia. Nam si non comparatur calefactio eius, nisi ad corpus hominis, tunc oportet, ut dicatur, quia calida est ex via, qua calefacit corpus hominis, non propterea quod faciat illud in alio animali. Nam non oportet propterea, quod hyoscyamus infrigidat corpus hominis, ut infrigidet corpus turdorum, quibus est cibus, neque oportet etiam, propterea quod elleborus niger solvit hominem, et non nutrit ipsum, solvat coturnicem cui est cibus. Et oleum nutrit hominem, et non nutrit ipsum; sed non interficit ipsum, sed interficit omne animal, cui non est sanguis. Et octava est, ut distinguatur inter medicinam et cibum. Sciatur ergo, quod medicina est illud, quod calefacit corpus, aut infrigidat ipsum, qualitate sua. Et cibus facit id, quoniam addit in substantia corporis, et augmentat ipsum. Inquit Galenus, nos nominamus totum, quod facit stare substantiam nostram et augmentat nos, cibum: et totum, quod mutat naturam nostram, medicinam nominamus. Aben Guefith de virtut. medicinar. et cibor. in libri eius initio. (ad calc. opp. Mesuae.)

1) Mesuae p. 6. b.

2) ib. p. 9. b. — p. 10. c. 11. a.

non sola sensuum auxilia in medicamentorum effectibus constituendis sequebantur; Rhazes enim non ex gustu modo medicaminum, ait, effectus, sed praecipue ab experientia diiudicari debere, saepe enim medicamentum purgans gustum habere adstringentem 1) etc.

Ex his igitur, quae huc usque de singulis medicinae Arabum scientiis dixi, haud difficile erit iudicatu, qua ratione ars illa ab iisdem exercita fuerit. Ut enim eorum pathologia humorum systemate praecipue nitebatur, sic et therapia ab eodem fere proficiscebatur. Erant enim imprimis vitiosi corporis humani humores, quibus emendandis diligentissimam operam dederunt; et quae omnibus caeteris praeposuerunt medicamina, venaesectio erant et laxantia. Venaesectiones Ebn Sina praestantissimo modo praecipit, sic, v. c. in phrenitide ante ulla remedia, nisi scilicet maiora repugnarent, venaesectionem praescripsit 2): id quod antecessores eius nequaquam fecerant. Rhazes autem diligentissime, ait, in venaesectionis usu aegroti vires esse spectandas, quare etiam in pleuritide viribus iam debilitatis a venaesectione esse abstinendum 3); aetatem nihil discriminis habere; et infantum, indicationibus id non vetantibus, venaesectionem concedi posse 4); quod Ebn Zohr exemplo filii sui triennis, cuius venam secabat, probavit 5). Diversa tamen a prioribus medicis Arabici de medicamentis purgantibus senserunt. Nec non minori cum studio leniter aperientia a proprie purgantibus, raro adhibitis, distinxerunt 6); cum propter clima calidissimum periculosa eadem, imo exitiosa saepius reperirent, quam Graeci aut Romani regionum magis temperatarum incolae 7). Accessit ad haec, quod, quemadmodum supra dixi, multa remedia alvum solventia mitioris naturae cognovissent, quibus saepissime utebantur. Arabes sanandi methodum climati suo

1) Rhaz. contin. Lib. VI. c. 1. f. 116. d.

2) Avicenna Lib. VIII. fen. I. tr. 3. c. 3. p. 473. ed. Paulin.

3) Rhaz. contin. lib. IV. c. 3. f. 88. d.

4) ib. Lib. XV. c. 6. f. 319. b.

5) Averrhois colliget. lib. VII. c. 3. f. 97. d.

6) Avenzoar. theisir lib. I. tr. IV. c. 18. f. 7. c.

7) Avicenna Can. lib. I. fen. 4. doct. 5. c. 9. p. 214. ed. Paulin.

convenientem esse voluerunt: id quod non minus secuti sunt in praeceptis Coi medicis ad morborum acutorum sanationem adhibendis. Tali modo variolarum curationi diaetetica respondere putabant, statu tamen magis inflammato venaesectionem adhibebant, simulque aquam frigidam, serum, acetum, tamarindos aliosque fructus acidos; variolis denique putrescentibus camphorae variorumque irritantium usum in auxilium vocabant 1). Quibus omnibus perpensis ex huius morbi, quem primi bene intellixisse videntur, non solius, sed etiam aliorum curatione luculenter patet, morbos naturae suae convenienter ab iis fuisse tractatos. Quam ob rem disertis verbis Ebn Serapion monet: iis medicis, qui contendant, cuiuslibet hydropis curationem medicamina calida exigere, fidem non esse habendam: a se ipso multos esse cognitos, ait, qui hydrope acuto affecti refrigerantibus solis sanarentur 2). Commodissime in pneumonia putridam Rhazes roborantium apparatus applicabat, casum quendam huiusmodi memorans, cui aegrotus, si ipse debilitare eum voluisset ex aliorum consilio, occubisset 3). Caeterum magis perspicuam Arabum medicinae practicae nobis conciliare notitiam nullo modo possumus, nisi cum dicta Ebn Roschd de praeceptis communibus, singulo malo accomodandis, consideremus: plurima, inquit, medici iudicium et experientia praestabit, regulae autem therapeuticae pro climatis, corporum constitutionis et vitae generis varietate variae sint, necesse est. Tali modo medicina practica in legibus communibus cuiusvis corporis morbis accomodandis unice versatur 4).


Arabum medicina clinica indole magis leni, quam vehementi gaudet. Hoc inde patet, quia Hippocratis sanandi methodum mitem diligenter, quia, quamvis chronicis morbis haud nimium indulgentes fortioribusque medicaminibus eos reprimentes, ut lepram e. g. mercurio, tamen acutis diaetetices multo magis, quam me-

1) Rhaz. de variol. et morbill. c. 6. p. 96. 98. s.  
 Haly Abbat. Pract. Lib. IV. c. 1. f. 115. a. (ed. Venet. fol. 1492.)  
 2) Serap. breviar. Tr. IV. c. 8. f. 35. c.  
 3) Rhaz. contin. Lib. IV. c. 3. f. 89. c.  
 4) Averrhoes colliget, Lib. VI. c. 1. f. 92. d. — lib. VII. c. 10. f. 100. b.

dicamentorum propriorum ope mederentur. Quam ob rem non status solum morbos, sed sani etiam diaeticam optime ab illis elaboratam videmus. Sic de hac artis nostrae parte ab Haly Ebn Abbas praecepta quaedam accepimus haud negligenda; diligenter, quae ad vitam bene ordinandam spectant, regulas proposuit, et pro diversitate anni temporum, et climatis, et corporis naturae 1). Verumtamen prudenter consuetudinem respicit, eiusque de consuetudinis speculatione tractatus 2) summa approbatione dignus est. Inter omnes autem sapientissime et copiosissime de diaetetica Ishak ben Soleiman agit, cuius libro accuratae de omni genere alimentorum eorumque effectum disquisitiones continentur; in quo tandem non pauca, quae nostris etiam temporibus librum hunc utilem reddere possint, reperiuntur 3).

Arabes, cum fere totius anatomiae ignari habeantur, eodem iure, chirurgiae quoque inscios esse oportere, creditum est. Quamvis autem negari non potest, id quod Abulkasem huius gentis perquam laudatus scriptor testatur, chirurgiam ab Arabibus fuisse neglectam, atque operationum apud eos chirurgicarum imperitiam ex anatomia plane neglecta oriri 4); idem tamen auctor, quid in chirurgia efficere potuerit, ipse satis perspicue ostendit. Conscripsit enim de akiurgia libros tres, Celsi et Pauli Aeginetae operibus haud immerito aequiparandos, imo perspicuo et concinno scribendi genere fortasse praefereandos. Attamen multis post illum saeculis chirurgia non maiori diligentia exculta est, et quae in medicorum saeculi decimi sexti de chirurgia scriptis utilia reperiuntur, ex illo scriptore sunt pleraque desumpta. Primus enim instrumenta chirurgica descripsit, eorumque usum figuris adumbratorum docuit. Idem ante Ambrosium Paraeum ligaturam iam non ignoravit et exercuit. Quadruplici enim modo, dicit, vel cauterii ope, vel sectione arteriae, vel ligatura, vel remediis stypticis constringentibus, sanguinem e laesa arteria profluentem cohi-

1) Haly Abbat. pract. lib. I. c. 2. f. 80. a.  
 2) Ib. c. 13. f. 85. b. Sprengel's Gesch. der Arzneik. 2. Th. p. 399. 400.  
 3) Isaaci fil. Salomonis lib. de diaetis universalib. et particularib. Ed. Posilivi. 8. Basil. 1570.  
 Sprengel's Gesch. der Arzneik. 2. Th. p. 424. 25.  
 4) Albucasis de chirurg. Tom. I. p. 3. 5.



beri posse 1). Imprimis applicationem cauteriorum actualium luculenter exponit, et quamquam immodicum eorum usum probare videatur, praecepta tamen ipsius magnopere sunt laudanda. Lithotomen autem eadem, qua Celsus, dexteritate describit, primusque hanc in mulieribus quoque operationem docet 2). Eundem haud minus ntilia de bronchotomia praecipientem legimus 3). Indicationem amputationis summa cum cautela observavit 4). Neque minus ipse peritum in morbis (ut aiunt) chirurgicis therapeutice curandis se exhibuit; sic in carie v. c. omnia ipsi in eo verti videntur, quod ossis pars emortua a sana separatur 5). Equidem illum de re chirurgica scriptorem, utpote huius artis, principem inter Arabes statuo; eundem tamen non solum chirurgiae peritum, atque ante illum chirurgos in hac gente praestantes iam fuisse, inter multos Rhazes docet, qui singularem de chirurgia librum reliquit. Dextra operatione curaverat fistulam lacrimalem atque trichiasin 6), polypum nasi diligentissime ligaverat 7). Praeterea Aly Abbas fistulam ani non minus felici operatione sustulerat 8), neque Ebn Sina prudentissimos inter Arabum medicos numerari non potest. Postremo Ebn Zohr optimum sese chirurgum praestitit, qui medicinam et chirurgiam iam tunc temporis separatam reconciliare conabatur.

Iam satis mature Arabes sicut in caeteris, sic etiam in ophthalmologia colenda se exercuerunt, atque haec ab illis medicinae pars in disciplinae formam redacta est. Laboravit in illa felicissime Hhonain, permultorum medicamentorum ocularium, imprimis collyriorum refrigerantium, inventor 9). Optima de morbis

1) Ibid. S. 56. p. 107.

2) ib. S. 60. p. 283. s. 1. S. 61. p. 289. a.

3) ib. S. 43. p. 227. 229.

4) ib. Tom. II. S. 87. p. 421. 423.

5) ib. S. 86. p. 403.

6) Rhaz. contin. lib. II. c. 5. f. 45. a. — c. 6. f. 46. d.

7) — Division. c. 42. f. 62. d.

8) Haly Abbat. Pract. lib. IX. c. 60. f. 166. a.

9) Serapion breviar. tr. VII. c. 33. f. 99. c. — Rhaz. contin. lib. II. c. 4. f. 44. b. s.

palpebrarum eius observationes feruntur 1); de oculi inflammationibus ex interna causa proficiscentibus modo rationali disserit: adstringentium medicaminum in his morbis usum prohibet 2). Propter trichiasis operationem Rhazes tamquam peritus ophthalmiatricus laudandus est, qui, ut Acrel, et ipse particulam quadratiformem iam ex palpebra exsecuit. De palpebrarum morbis et Ebn Sina optime egit 3), qui iam cataractae extractionem commemorat, eandem tamen ut periculosam reprobatur, depressionemque commendat 4). Operationes in oculo factas Abulkasem etiam exhibet 5). Quid, quod Avenzoar studuit curare amaurosos? 6).

Sicut autem hucusque dicta sunt, quaecunque Arabibus, quod attinet rem medicam, laudi et decori esse possunt, sic ad minus laeta nunc descendere aperteque confiteri cogor, esse unam rei medicae partem, in qua fere nihil praestiterint, obstetriciam videlicet artem; nisi hoc iis merito tribuatur, quod, quaecunque a Graecis didicerant, retinerent. Idem scriptor, qui propter chirurgiae peritiam magnam tanta laude floret, Abulkasem, in opere, quod de chirurgia composuit, artem obstetriciam, quatenus ab Arabibus tunc temporis exercebatur, exposuit, quamvis multo minus in hac re excellat, 7) Attamen medicorum culpa multo minor est, quam gentis ipsius, quae ob incertitiam et falsum pudorem artis usui repugnabat; quapropter a mulieribus potissimum exercebatur, nihilque medici, nisi quod consiliis incertas adiuverant 8).

Ad extremum cum fere nihil de omni, quam tanta brevitate exponere volui, re, adicere necesse habeam, unum aliquid, quo ceteris populis, et recentioribus ipsis, antecesserint, negligere nequaquam debeo. Quod enim florente aevo civitatum Graecarum atque imperii Romani nondum factum erat, scilicet, ut certis legibus

1) Rhaz. contin. lib. II. c. 1. f. 29. a.

2) ib. c. 2. f. 35. h.

3) Avicenna. lib. III. fen. 3. tr. 3. c. 1. s. p. 552. s. ed. Paulin.

4) ib. tr. 4. c. 18. p. 564. — p. 352. ed arab. (Rom. 1593. fol.)

5) Albuca. de chirurg. Lib. II. S. 8 p. 137. sqq. al. loc.

6) Abenzoar theisir lib. I. tr. VIII. c. 22. f. 8. a.

7) Abulkasis de chirurg. Tom. II. lib. II. S. 75. s. p. 325.

8) ib. Tom. I. lib. II. S. 61. p. 289. 291.



medici obstringerentur: id, ut verissimis testimoniis elucet, Arabes fecerunt. Illis enim temporibus ars medica libere omni civitatis cura quiescente, exercita fuerat; quicumque medicinae artem profiteri aut exercere voluit, huic nullam eius rei a legibus veniam impetrare opus erat. Arabes vero, sicut senioris aetatis Graeci et Romani, huic malo, medicina politica instituta medebantur, sic ut haud exiguae propter hanc rem gratiae a posteritate iis haberi debeant. Bagdadi autem collegium fuisse medicorum, quod ineuntes medicinae practicos examinaret; civitatem instituta habuisse, in quibus artis nostrae studiosi exudirentur; doctores a republica stipendia accepisse; apothecas imprimis inspectioni publicae subiectas fuisse: cuncta haec iam ante allata sunt. Silentio autem non transeam, Arabum duces militum suorum sanitatem melius curavisse, quam reliquas gentes belligeras. Sic castrorum suorum pharmacopolia militaria Aphshin ipse vidit, ut inquireret, an cuncta in dispensatoriis indicta medicamenta in iis adessent. 1). Rhazes ipse quaedam praecepta dat, quomodo militum bona valetudo servetur 2).

Imo et in illa arte, quae, etsi huic nostrae inferior putetur, tamen summas utilitates praebet, in re veterinaria, se exercuerunt; scripsitque inter multos et Ebn Baithar tractationem hippiatricam. 3)

Paucissimis denique verbis illud etiam in fine opusculi mei memorare liceat, apud Arabes primo cosmeticam esse exortam. Qua ex causa, facile patet; exanthemata enim in hac gente frequentissima formam ipsorum foedabant, quam ob rem arte eiusmodi damna reparare studuerunt 4).

1) Aphshino inservit Zacharias Tiphurensis Medicus, qui haec de se memoravit. Cum una cum Aphshino in castris essem, illo Babeco bellum inferente, iucideretque sermo de Pharmacopolis, dixi ego: nihil a Pharmacopola peti potest, quin, sive habuerit, sive non habuerit, apud se illud esse affirmaturus sit. Aphshin ergo catalogum Asrushinensium quendam afferri iubens, viginti circiter nominibus inde descriptis, misit ad Pharmacopolas, qui ab illis medicamenta istis nominibus appellata peteret. Negantibus aliis, alii se ea comperta habere affirmarunt, acceptaque a nuntiis pecunia, aliquid ex officinis suis tradiderunt. Aphshin igitur, accersitis, quotquot erant, Pharmacopolis, eos, qui nomina ea sibi nota esse negaverant, in castris manere permisit, reliquis amotis. Abul-Pharag. histor. dynastar. p. 167. vers. lat.

2) Rhazes ad Mansor. de re med. L. VI. c. 13.

3) Casiri, vol. I. p. 276.

4) Rhaz, ad Almans, tr. V. c. 5, f. 22. b. — Haly Abbas pract. Lib. I. c. 30.

---

## Vitae Curriculum.

---

Natus sum Burenæ, oppido prope Paderbornam sito, Nonis Januarii anni MDCCCII, patre optimo Mose, mercatore atque oppidi consiliario, matre dilectissima Julia e stirpe Alsbergensi. Primis litterarum rudimentis domi imbutus anno aetatis undecimo in Archigymnasium Susatense, quod tunc temporis auspiciis eruditissimi Seidenstuecker b. m. florebat, me contuli, ibique per duos annos viris praestantissimis, quorum haud ullus dies in me exstinguet memoriam, praeceptoribus uti mihi contigit. Patris autem voluntate domum revocabar, ut mercaturam ediscerem. Verumtamen tempore aliquo praeterlapso, animo pristina studiis vacandi consuetudo rediit, ita ut Gymnasium, quo Paderborna gaudet, Theodorianum ingressus, prudentissimorum virorum institutione per duorum annorum, et quod excurrit, spatium, felici modo fructus sim. Quibus peractis anno MDCCCXX verno tempore adii litterarum sedem laudatissimam Georgiam Augustam, artis medendi studia amplexurus. Ibi a dignissimo Himly, tunc temporis Prorectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus per triennium celeberrimorum virorum praelectionibus interfui: nimirum Cl. Bouterweck in Philosophiam, Cl. Eichhorn et Cl. Tychsen in linguam Arabicam et Syriacam, Cl. Tob. Mayer in Physicam experimentalem, Geographiam et Astronomiam physicam nec non in Meteorologiam; Chemiam experimentalem atque analyticam me docuit Cl. Strohmeyer, Botanicam universalem et medicam et Cryptogamiam Cl. Schrader, Historiam naturalem, Physiologiam et Anatomiam comparatam Cl. Blumenbach, Osteologiam Cl. Hempel, ut et Syndes-

mologiam et Myologiam, Cl. Langenbeck reliquas Anatomiae partes et Neurologiam specialem, Chirurgiam atque Ophthalmiatricen, hisque duobus ducibus me etiam in secandis cadaveribus exercui. Cl. Himly mihi tradidit Nosologiam et Therapiam tam generalem, quam specialem, nec minus Chirurgiam medicam et Ophthalmologiam; artem obstetriciam Cel. Osiander; Cel. Kraus praeceptor de me meritissimus Pathologiam atque Therapiam et generalem et specialem, sicut etiam Pharmacologiam universalem et specialem, Pyretologiam artemque formulas medicas concinnandi; Aco-  
logiam denique Dr. Pauli. Neque etiam tam auscultando quam practicando defui exercitationibus clinicis et medicis, et chirurgicis, et obstetricis, quas ill. Himly, Ill. Langenbeck et Cel. Osiander moderantur. Denique post examen superatum anno MDCCCXXII die XI m. Septembris ab Ill. medicorum Goettingensium ordine summi in medicina et chirurgia honores in me sunt collati.

Deinde anno praeterlapso Berolinum petii, ut licentiam artis in patria exercendae adepturus, examinibus variis me submitterem. Hic Ill. Rudolphi de Anatomia c. h. sani et morbidi, neque minus Anatome organorum sensuum; Ill. Knape de Osteologia, Syndesmologia et Splanchnologia disserentes audivi; ambo viri amplissimi me etiam in secandis cadaveribus summa cum humanitate instituerunt. Nec unquam immemor ero benignitatis ab Cl. Neumann in me collatae, quo duce clinicis in Caritate exercitationibus non sine maxima utilitate intersum.

Dab. Berolini d. XV. Mens. Ianuar, MDCCCXXIV.

Simon Aronstein.